

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0622

0620

0626

0616

0631

0611

0671

0571

0721

0521

1121

0121

Ende

Anfang

oquitur beatus Bernhardus in sermone ad milites templi  
cap. 9 commendabilia.

De recessu peregrinorum a Jordane contra  
S. Johannis capellam.

De solitudine Jordanis et de deserto S. Johannis  
Baptistae.

Balneatione peracta mox asinos reascendimus et a sancto flumine recessimus per viam, qua veneramus. Cum magno ergo gaudio revertebantur illi peregrini, qui montem Sinai non intendebant visitare, quia jam peregrinationis suae terminum attigerant; Jordanis enim ultimus terminus est peregrinationis hierosolymitanae. Ascendimus ergo per solitudinem Jordanis cum festinantia in desertum Johannis Baptistae, qui in illis desertis locis supra Jordanem habitare coepit, postquam factum est verbum Domini super eum in deserto prope domum patris sui. Ideo dicitur Luc. 3., quod venit in regionem Jordanis praedicans et baptizans. Habitavit etiam ad tempus in Bethania, quae est trans Jordanem, ut habetur Joh. 1., et pertransivit regiones Jordanis de loco ad locum propter praedicationem. In hoc vero deserto, per quod ascendimus, quondam Dominus Jesus ad eum venit petens baptismum. Sunt autem supra Jordanem solitudines asperae, in quibus deguit beatissimus Baptista et post eum multi sancti patres, qui ad instar Baptistae zonis pelliceis contenti edebant locustas et mel silvestre, sicut Matth. 3. de Johanne legitur. Sed videamus, quid sit locusta illa et mel silvestre? Quidam dicunt, quod locustae sint minuta animalia volitantia per modum saltus, et habeant serras inter crura, unde etiam serratae dicuntur, habent autem corpus ad modum digiti manus exile et breve, et faciliter inter herbas capiuntur et capite amputato frixantur in oleo et manducantur, et est cibus pauperum, unde hodie in deserto Judaeae reperiuntur illae locustae. De his dicunt S. Johannem pastum fuisse. Alii vero sublimius de S. Johanne sentientes dicunt: non esse verisimile, quod beatissimus Baptista locustarum carnes manducaverit in deserto, qui etiam panem manducare renuit in prima domo. Et illi dicunt,